Somnium

DAVIDIS ECHLINI

In Arenam. invenite Anno D. 1629.

AD

CAROLVM

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, & HIBERNIÆ REGEM.

Fata viam invenient.



Excudebat Londinensis *A. M.*

1629.

SOMNIUM
DAVIDIS ECHLINI.

CArole cunctorũ Rex Maxime & optime Regu
Vnice tu in toto terrarum hoc Orbe Monarcha
Te mea ſed grauior florentem ætate ſalutat
Muſa annis, vitæ aſsiduis iactata procellis,
Hinc modò curarum, & morborum fluctibus illinc
Obruta pæne, inter rerum diſcrimina, luſtris
Cum dura bis ſex iam colluctata nouerca.
Atque adeò tandem feſtino Lareſque focoſque
Nunc citus ad patrios, iuncto ni pontus & æther
Conſilio in noſtram coniurauere ruinam,
Naufraga mi in portu merſura ad littora puppim
Det meliora Deus, tandemque aliquando minaces
Mitiget ò noſtris ſatiatus cladibus iras.
Hæc ego dum tacitè mecum anxius haud ita pridem
Per ſomnum in lecto meditarer nocte ſilenti,
Siue is ſomnus erat, ſeu mens mihi rapta furore
Neſcio quo ſoliti perrupto carcere clauſtri,
Hinc procul amotas ſeceſsit libera in oras,
Luſtranda alterius ſincero lumine mentis,
Ecce mihi ſe offert venerando fæmina vultu,
Sed pluſquam humano; quænam foret illa ego primo
aſpectu obſtupui attonitus velut ante Meduſam.
Poſt vbi ſe ipſa ſuis manifeſtam prodidit vltro

 Indicu

ndiciis,doctaque loquela,mox ego Diuam
Terque trium agnoſco matrem ſermone Sororum
Mnemoſynen, mihi quæ ſcribenti trans mare quondam
Vſque ad Mala nouum deduxit carmen ab Ouo.
lla meos ſimili hic recreans ſolamine queſtus;
Erigit abiectum ſine ſpe ſine corde clientem;
Talibus affaturque afflictum ex tempore dictis.
Quiſnam hic qui mœſtis tenebras noctemque que-
Sollicitat,gemitu ingeminans ſuſpiria crebro? (relis
Vnde micant fibræ? quid vult ſubſultus & horror
Membrorum tremulus?quid vult ſibi turbida tandem,et
Irrequieta quies vigiliſque inſomnia ſomni,
Dum rigidi increpitat placitum implacabile fati
Barbaque longæua & canis iam calua capillis?
Salue ò noſter amor,natarum Echline mearum
Deliciæ dulces, Phœbi ſuauiſſime alumne.
Tene tuum ſub atroce tyrannide ſortis iniquæ
Tranſegiſſe æuum,morbiſque maliſque refertum?
Siccine ſidereas conſpirauiſſe phalanges
Vnius in caput innocuum,ſine fraude doliſque?
Anne tibi ſeries fluet infinita dolorum?
Nec niſi quæ vitam,luctum tibi finiet hora?
Nunquamne alta quies? Nuſquamne integra voluptas?
Et iam ſera pedem tenet vnum cymba Charontis.
Quando erit ò tandem cum tu ridente tuorum
Percipies dulces fructus in meſſe laborum,

Ante

Ante obitum instantem & vicinam funeris horam?
Nec vero debes post tot mala tantaque fractum
Despondere animum, & quæ in terris vltima mansit
Spem procul abiicere hinc, sine qua miser extat inermis,
Afflicto sine qua solatia nulla supersunt.
Ne succumbe oneri, palmamque imitare renixu.
Vnica vim inuicti eludet patientia fati.
Turpe tibi è medio quondam monstrasse Lycæo
Socraticos fontes cum plausu, & dogmata morum;
Qua virtus pacare queat ratione rebelles
Perturbati animi motus trepidosque tumultus,
Nec tete addictum legi quam dixeris ipse.
Esto animo forti, & quem vagina occulit ensem
Eripe nunc contra tu cuncta metusque dolorisque
Agmina; seu morbus, seu morbus & ipsa senectus,
Siue angusta domi res, & tibi curta supellex
Suscitet in Dominam ancillas insurgere Mentem,
Indigenas turbas & bella domestica vitans.
Teque tuam tolerare crucem satis admonet Agni
Exemplum Crucifixi, opulentum immobile cœli
Regnum affectantem qui comparat ipse camelo
Conanti per acus frustra transire foramen.
Testis ad hæc locuples lurco ille, ac helluo diues,
Vita in deliciis qui & luxu molliter acta,
Pauperis irrisor latrantis ad ostia surda,
Non habuit siccam miser vnde extinguere linguam

Posset apud manes; ea gens post omnia læta hic
Temporis in puncto infernas descendit ad vmbras.
Non ita tu mi amor; at contrà post tristia cuncta hic
Gaudia succedent & nullo fine voluptas
Incorrupta olim nulloque infecta dolore.
Vtque tuam constante crucem tu hic corde tulisti
Cum Duce pro tete Crucifixo, sic & eodem
Cum Duce lætus ages celsum super astra triumphum:
Hanc tibi promittunt mercedem Oracula sacra.
Ergo dum spiras spera bene dulcis Alumne:
Interea satis hic sit mens tibi conscia recti
Perfidiæque & fraudis & omnis nescia culpæ.
Sic tu quod reliquum est latitans absolue dierum.
Viue tibi, procul ambitione, iraque odioque
Sordida auaricia, luxus venerisque gulæque
Præstigiis. Tum te hoc iterumque; iterumque monebo,
Præcipuè caue ne facies tibi liuida, tabes
Squalida membrorum rodentem detegat intus
Inuidiæ vermem, cum tu pedes ire per vrbem
Sublimes in equis in curribus atque quadrigis
Forte tuæ socios gentisque artisque videbis
Nil te plus meritos. Subitò namque id genus omne
Gurgite Lethæo mersum obscurumque peribit.
At tu contemptis perituri sordibus æui,
Imbutus penitus generoso pectus honesto,
Viuis in ore hominum, & viues post fata superstes

Ipſe tibi, inuitis ſœclorum in ſœcula Parcis.
Semper honos nomenque tuum laudeſque manebunt.
Denique quæ prima eſt eademque hic vltima meta,
Tu ſupplex venerare Deum, tu Numen adora.
Summa tibi hæc virtus, tibi ſit ſapientia ſumma hæc.
Omnia tu refer huc, ex hoc tu hauri omnia fonte.
Cumque volet currens Lacheſis tibi ſiſtere filum,
Fac tua tunc vitæ reſpondeat vltima primæ;
Materia Aitono, tibi qui poſt fata ſuperſtes
Tale aliquod poterit tumulo ſuperaddere carmen.
Echlinus iacet hic, qui bis ſex plus quoque luſtra
Cum bene vixiſſet neſciuit non bene obire.
Ac ne ego te ſtimulante fameque ſitique peremptum
Frigoreque ante diem videar fortaſſe ſub iſto
Triſtibus inferis tumulo ſepeliſſe ſine vllis
Auxiliis, miſeræ poſt tanta incommoda vitæ,
Pone metum, & vacuus iam nunc mi Echline timore
Eia age tu euerſo rediuiuus ſurge ſepulchro.
Non ea mens vati, nec tam tibi fata ſiniſtra,
Lætitiam feſtoſque dies poſt funera campos
Mittere ad Elyſios; vbi gaudia quæ neque vidit
Vnquam oculus, nec corporea vnquam vlla audiit auris,
Humanæ prorſus non peruia gaudia menti.
Immo tu hìc inter cognatos, inter amicos
Ætherei in terris carpes præludia Regni,
Funeris ante diem tibi nunc vtcunque propinquam,

Dulcia prælibans qui tot gustaris amara?
Solus, tu poteras contentus viuere paruo
Frugi homo; sed plenæ tibi charaque castaque coniunx,
Et proles numerosa requirunt fercula mensæ;
Sumptibus vt de aliis verbum non ampliùs addam.
Consultò, mihi crede, & non sine Numine Diuûm
Secta euasisti vesica immane periclum.
Crudelis morbus, crudelis & vnica cura.
Nec quisquam ante obitum tutò est fœlixue, miserue.
Multa cadunt inter calicem supremaque labra.
Neue meas, tua tu neu desere Numina natas,
Quas teneris semper coluisti firmus ab annis;
Quicquid fæx populi oblatret, vulgusque profanum,
Numina cultori ingrata & paupercula clamans.
Fata viam inuenient, aderitque vocatus Apollo.
Ille poetarum res commiseratur egenas.
Carmina sunt illi, sunt illi gramina curæ.
Infausta illa dies, nigroque notanda lapillo,
Quæ tibi PACIFICVM è viuis eheu IACOBVM
Abstulit, ærumnis ærumnas denuo acerbans.
Ille tuum patrem bene nouerat intus & extrà
Egregium Henricum, quo non præstantior alter
Voce ciere canes, cursumque accendere cornu;
Maternas qui olim partes & castra secutus
REGINAE nunquam sat pro virtute canendæ,
Contra hostes Diuina humanaque iura abigentes,

Vitam in diſcrimen fortunas & bona miſit.
Audieratque idem pro certo Rex IACOBVS,
Vt proaui plerique tui ſub Regibus olim
Scotorum, patriæ pro libertate obiere.
Ille tibi atque tuis promiſit fratribus idem
Non modò ſe Regem, ſed tutorem fore fidum,
Cum fratrem Mitra decoraret forte Robertum.
Ille tuas tecum coluiſſet vt ante Camœnas.
Illius ille etiam meminiſſet temporis, vt tu
Pænè puer Puero recitaſti verba Latina,
Cum primùm intraret portam vrbis Fermeloduni,
Perluſtrans primo regni tunc oppida & vrbes
Progreſſu, magna Procerum ſtipante caterua,
Nec tibi tam obſcura eſt fama, aut ignobile nomen,
Quin pudor & probitas doctrinaque Regis ad aures
PACIFICI, ſecurè Alba Regnantis in Aula,
Venerit huc vento pridem tranſuecta ſecundo.
Sed quid ego vſque tuas renouo maleſana querelas?
Nec niſi adhuc crudum verbis exaſpero vulnus?
Vitam IACOBVS ei dederat quam Parca peregit,
Naturæque ſatis, laudique & gloriæ abundè
Vixit: at ille vni patriæ pacique fouendæ
Nunquam vixiſſet ſatis in regione Britanna;
Non ſi Neſtoreos vixiſſet & ampliùs annos.
Nec cita mors Regis quòd tu non videris ipſum hìc,
Sed tua apud gentes mora longior exteriores

Culpa fuit, si culpa fuit lex summa Tonantis.
Quicquid id est, tu parce pios dehinc murmure Manes
Vano diuexare, & adora Solem Orientem.
O fausta illa dies, niueoque notanda lapillo,
Quæ tibi MAGNANIMVM dedit illucescere CARLVM.
Fœlix Magna Britannia: fœlix Fermelodunum
Herois Fergusiadæ Natalibus: & tu
Ante diem fœlix sed serò Echline supremam,
Tranquillum nactus post tanta pericula portum.
Nec tantùm ille ad Sceptra Patris successor & hæres;
Quin sibi iure suo nullo obsistente Paternos
Vendicat affectus. Tanta est reuerentia Patris;
Quosque Pater meritis inductus amauit, amabit.
Scilicet ambobus communio constat amoris,
Sanguinis vt directa eadem stat linea vtrique.
Ergo ille obstricti soluet promissa Parentis,
Erga te atque tuos nullo discrimine fratres;
Quæ tibi præ reliquis proprio rata protulit ore:
At REX Veridicus nullum spe lactat inani.
Tum pater Henricus fama illi notus honesta,
Quosque tulit pro Auia bello flagrante labores.
Adde quòd in mediis Generosus CAROLVS armis
Doctiloquas merito non fraudat honore Sorores.
Immo, ne dubites, clarus belloque togaque
Herculeo Musas nodo cum Marte ligabit,
Rara Auis in terris, & non imitabilis Heros.

Denique

Denique noluerit Princeps Æquissimus, vt tu
Sorte, nec inuideas, cum prosperiore bearit
Collegas ciuesque tuos, doctosque, probosque,
Solus humi serpas non inferiora secutus.
Et nihil ærumnæ? nihil ætas? litterulæ nil?
Nil patris, & patrum pro te monumenta merebunt,
Flentibus aduersum Musis & Apolline cœlum?
Quare age chare meo mora nulla Echline periclo,
Magnanimum reuerente saluta carmine *Carlum*,
Hic vbi fata vocant moribundum imitatus olorem.
Arripe, quid cessas, iam nunc chartamque, stylumque.
Ipsa ego propitium sanctè tibi spondeo *Regem*.
Hactenus hæc mea Mnemosyne. Disparuit illa.
Protinus excusso rediit mihi mens vaga somno:
Arreptisque armis, ad fumum lampadis atrum
Scintilla accensæ, foliis hæc carmina mando;
Quæ caue cunctorum REX Optime Maxime Regum,
Ne turbata volent celeri ludibria vento,
Irritaque errantem deludant Somnia mentem.

FINIS.